



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Dub. IV. Quid sit donatio mortis causa, & an possit revocari quomodo, & quibus competat?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

V. Si donatio fuerit inofficiosa, contra officium paternæ pietatis, ut si pater tantum donet, ut filii priventur sua portione legitima: tunc enim post mortem patris possunt filii revocare. *Nav. c. 26. Less. l. c.* licet donatio fuerit juramento confirmata *Megal. & alii s. Dian. p. 6. t. 8. R. 66.* Imò etiam vivente patre: licet enim ante mortem patris non debeat legitima, ut tradenda, debetur tamen ut conservanda. Hinc si pater bona dissipet, potest à filio per judicem cogi, ut servet legitimam, ne is post mortem patris careat alimentis. Ita probabiliter *Dian. l. c. ex aliis d. contra Less. & c.* An autem & quando donatio rescindenda in totum, *v. Dian. l. c.*

VI. Per supervenientiam liberorum, ut probabilius affirmat *Dian. p. 8. t. 6. R. 78. ex aliis 4.* contra quosdam. Si tamen pater non revocaverit, non potest à filiis postea natis revocari, nisi pro ratione falcidiæ, sive ex testamento, sive ab intestato successerint. *ibid.*

DUBIUM IV.

Quid sit donatio mortis causa, & an possit revocari, quomodo, & quibus competat?

Resp. I. Donatio mortis causa, qua quis sic donat, ut velit rem esse alterius primum post suam mortem, ut si dicas, do tibi hoc post mortem meam, vel cum moriar, vel quia timeo me nunc moriturum, revocari potest etiam tribus casibus his.

I. Si

I. Si donatorem poeniteat, sive expresse, sive implicitè; ut si rem illam donet alteri. *Less. l. c.*

II. Si dedit intuitu alicujus instantis periculi, ex quo meruit mortem: hoc ipso quo periculum evasit, censetur tacitè revocata donatio: ut si quis det in gravi morbo, vel instante prælio, *Bon. d. 3. q. 13 p. ult. n. 20.*

III. Si donatarius moriatur ante donatorem, ipso jure revocata est: ut etiam accidit in testamentis & legatis. Secus est in promissione & donatione inter vivos, quæ transit ad hæredes. Quòd si autem donator promiserit se non revocaturum, transit in donationem inter vivos, *v. Less. c. 18. d. 14. n. 116. Molin. d. 286. & d. 288. Azor. l. 11. c. 11. q. 4. Bon. l. c.*

Resp. II. Hæc donatio fieri debet in præsentem, *Dian. l. c. R. 66. & alii 5.* nec valet in absentem sine nuncio ad hoc destinato, vel epistola, licet valeat, ut fidei commissum, si fuerint adhibiti testes, *Dian. & c. l. c.* Valet autem probabiliter, et si donatarius præsens tacuerit.

Resp. III. Donare mortis causa possunt omnes & soli, qui possunt testari, excepto filio familias, qui licet testamentum condere nullo modo possit, cum hoc sit juris publici, donare tamen mortis causa, cum id sit juris privati, potest, si adsit patris consensus expressus: imò sine hoc donare eum posse, non tantum de castrensibus, sed etiam adventitiis, probabile censet *Dian. l. c. R. 69. & 68.* Hinc donare sic possunt minores 25. annis, etiam sine consensu sui curatoris, *Dian. l. c. R. 71. ex Molin. & aliis 9.* Non autem usurarius, nisi prius usu-
ris

ris satisfecerit, vel cautionem præstiterit, (potest tamen ad causas pias. *Ibi. R. 73. ex Fagund. & aliis* 6. Nec surdus & mutus à natura; secus si à casu superveniente, vel si surdus sit, aut mutus tantum: licet donare inter vivos possit secundum quosdam, *Azor. Dian p. 5. t. 6. R. 12.*

DUBIUM V.

*Quid sit Commodatum, Precarium,
& Deposium?*

Resp. Commodatum est contractus, quo res aliqua mobilis, vel immobilis, quoad solum usum gratuito conceditur, idque ad aliquod certum tempus explicitè vel implicitè determinatum: explicitè, ut si dicas, commodo tibi hunc librum, vel domum ad unum mensem: implicitè, ut si dicas, commodo tibi librum, ut eum describas; quia tunc implicitè tantum temporis determinatur, quantum necessarium est ad commodè describendum.

Precarium est, quo conceditur petenti res utenda, non ad certum tempus, (in quo differt à Commodato,) sed donec concedens repetat, sive expressè, sive tacitè, ut si det alteri, aut vendat, *Lay. l. 3. t. 4. c. 14.*

Deposium est, quo aliquid traditur custodiendum, ut integrum reddatur. Et communiter est res mobilis, vel se movens, ut vestis, equus, &c. *Vnde circa hac resolvuntur.*

I. Commodator non potest repetere absq; iniustitia antè definitum tempus, *Laym, l. 3. tr. 4. c. 14.*

N

II. Quòd